



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1620 usque ad annum 1623

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1777

VD18 90118855

§. 1. Pax inter Ferdinandum Cæsarem & Gabrielem Bethlenium stabilita.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67344](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67344)

HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ

CONTINUATÆ.

LIBER CXCIV.

GREGOR. XV. PONTIF. MAXIMUS.
FERDIN. II. OCCID. IMP.



§. I.

*Pax inter Ferdinandum Cæsarem, &
Gabrielem Bethlenium stabilita.*

Sæc. XVII.
A. C. 1622.

Bellus laur.
Austr. l. 5.
pag. 498.
Ludolph.
l. 21. c. 3.
Brachet. l. 2.

Cum Friderici Palatini Fautores tam in superiori, quam inferiori Palatinatu graviores belli tumultus concitarent, Ferdinandus Cæsar totum exercitus robur ad Rhenum versus ducere parabat: ut vero optatior hisce consiliis colluderet armorum successus, Hungariæ motus etiam propriæ auctoritatis dispendio pactis conditionibus componere satagit, nec irritò conatu; quippe præter Cæsaris Legatos Hungarorum Procerum non pauci, quos inter præcipui erant Emericus,

ricus, ejusque Successor Stanislaus Sæc. XVII.
 Comes Thurso secta Lutheranus, pro- A. C. 1622.
 pensum ad pacem animum præseferen-
 tes, tandem Nicoleopoli die vigesima
 sexta Januarii Cæsarem inter & Beth-
 lenium Gaborem in hæc concordia
 pacta convenere. I. Cæsar omni-
 bus Belliducibus Hungaris præterito-
 rum veniam concedat. II. Bethlenius
 Regio titulo se abdicet, Regni coro-
 nam, & intra octodecim dierum spa-
 tium finitimas urbes Cæsari restituat,
 relictaque Hungaria nil contra Cæ-
 sarem, Domumque Austriacam molia-
 tur: vicissim Imperator Bethlenio pol-
 licebatur. I. Quod servato Principis
 titulo, septem Comitatus, & ad dies
 vitæ Cassoviensem urbem, necnon Op-
 pellensem & Ratiboranum Principatum
 unacum Moncaziana, Toccaiensi, Sag-
 mariana, & Eschetensi arcibus pacta
 pecuniarum summa Bethlenio tradere
 velit. II. Quinquaginta florenorum
 millia pro præfidiario milite in præfa-
 tis arcibus alendo ex Imperii pecuniis
 Bethlenius quotannis accipiat, ea ta-
 men lege, ut hi milites Cæsari æque
 ac Bethlenio fidei sacramento obstricti
 essent. III. Regium diadema in arce
 Trinchinensi custodiatur usque ad pro-
 xima comitia, ad quæ etiam cetera
 remittantur negotia. IV. Religionis
 nego-

Sæc. XVII. negotium eo in statu, quo in primo
 A. C. 1622. Cæsaris ad Regnum accessu erat, re-
 linquatur. V. Jesuitæ rursus in Regno
 recipiantur, nulla tamen bona immo-
 bilia possideant. VI. Bona oppigio-
 rata apud possessores suos usque ad co-
 mitia permaneant: postea vero aut pe-
 cuniis redempta aut donationibus alie-
 nata suis Dominis restituantur.

Transactis hisce articulis Cæsarei
 Oratores Tyrnaviam concessere, Beth-
 lenii mentem desuper exploraturi. Hic
 quidem hæc pacis capita rata habuit,
 consensum tamen Turcici Imperatoris
 expetendum esse respondit. Ea res
 Cæsareis Bethlenii fidem suspectam
 reddebat, eo potissimum nomine, quod
 præter Ottomanicas arces valido præ-
 sidio munitas, Gabriel insuper multa
 armatorum millia Nitriæ conscripserit,
 Jesuitis sua bona restitui noluerit, ac
 demum Palatino, & Bohemis præter
 rebellionis veniam suas ditiones resti-
 tui petierit: rara adeo est potentis se-
 ditiosi reconciliatio integra & sincera:
 Ceterum cuncta hæc Bethlenii postu-
 lata ad proxima Regni comitia Mense
 Aprili celebranda fuere rejecta, Ga-
 briele interim in Transylvaniam rever-
 so, qui tamen prius Tyrnaviam, Ni-
 triam, Neosolium & urbes montanas
 unacum Regio diademate restituit.

§. II.